

LITURGIA HORARUM

PROPRIUM DIOCESIS SPIRENSIS

Die 27 Ianuarii

B. PAULI IOSEPHI NARDINI, PRESBYTERI

De communi pastorum: praeter sequentia:

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex articulo in commentariis hebdomadariis
Spirensibus "Peregrinus Christianus" die 27
Ianuarii 1861 sub prelo edito

Fides in Deo posita et Benedictio Omnipotentis haec omnia
aedificaverunt

Anno 1854 in Solemnitate Nativitatis Domini
nostri Iesu Christi factum est, quod ante
praeseptum Illius, qui dixit: "Non est voluntas
ante Patrem vestrum qui in caelis est, ut pereat
unus de pusillis istis" (Mt 18,14) et qui ipse
infantem se fecit ut imprimis pusillos redimeret
omnesque nos sanctificaret in filios Dei, in animo
statutum est, ut ad levandam acerbissimam
nostrae aetatis miseriam virgines Deo
consecratae instituerentur et informarentur, ut
puellis et pueris derelictis et orphanis necnon
senibus miseris et aegrotis matres fierent et

consolatrices ad instar Eae, quam Virginem
Immaculatam et Matrem Iesu Infantis
veneramus et quam Consolatricem afflictorum
et Salutem infirmorum profitemur. Quod ante
praeseptum in animo statutum et Deo
concreditum erat, consulto Reverendissimo
Domino Episcopo Spirensi, anno 1855 in die
Sanctae Agathae susceptum est a compluribus
virginibus nostrae dioeceseos, qui patrem ac
matrem, fratres et sorores, domos suas et
temporalia sua dereliquerunt et in civitatem
Pirmasens sese contulerunt, ut ibidem discerent
abnegare semetipsas et, Sancti Patris nostri
Francisci Regulae Tertiae obsequentes,
pupillorum et aegrotorum et miserorum ancillas
sese praeberent eisdemque inservirent.

Initium factum est in aliqua domuncula merce
conducta, statim refertissima puellis et pueris
miseris, esurientibus, variis malis afflictis.
Accederunt cotidie plus quam centum pauperes
de civitate, qui acerbissima inopia laboraverunt.
Odor velut pestilens imbecillorum, aegrotorum,
immundorum domunculam perfluans indicavit,
quaenam erat nausea a servientibus ferenda, qui
autem illis virginibus divinite concitatis
tamquam odor suavissimus apparuit. Et Ille, qui
in manus earum, quae dereliquerunt omnia,
munera et beneficia undique confluere fecit, ut
pupillos ac pauperes nutrire valerent, easdem
simul neque ulla contagione contaminari
permisit. Increscente numero puellarum et
puerorum pro deficientibus lectulis stramenta
paleaque ab hominibus christiana misericordia
imbutis rogata sunt et in locum plumarum silva
muscum suum humilem obtulit ad toralia
farcienda. Vestes, quas virgines a saeculo secum
duxerunt, dissecatae ad vestiendos pauperes et

pupillos praeparatae sunt. Magis in dies apparuit, quod granum sinapis in solum fecundum ceciderat et caelesti benedictione mirabiliter cumulabatur.

Usque ad hodiernum diem, i.e. in fine anni 1860, plus quam ducenti virgines veste religiosa indutae sunt, quarum undecim Sponsus Caelestis iam in aeternam habitationem vocavit. In domo principali congregationis quattuor scholae inveniuntur. Numerus puellarum ad 110, puerorum ad 140 accrevit. Illi autem pueri, qui sunt indolis melioris, scholam superiorem frequentant, ubi et lingua Latina instruuntur. Quorum aliquot, etsi e familiis fortunatis orti, recepti sunt in domo pauperum instantibus genitoribus, qui pro eis victum solvent. Pueri autem minoris indolis, institutione cotidiana in schola peracta, praeparantur, ut agris colendis operam dent aut opificis arte fungantur. In ipsa domo nostra informari possunt operibus sutoris, sartoris, textoris, lignarii, caementarii. Aliquot pueri magistris in civitate gravibus concrediti sunt, ut ab eis ulteriores artes sibi adripiant, victum autem et habitationem et educationem semper in domo Religiosarum obtinentes. Puellae et virgines operibus domesticis praesertim instituuntur, ut, adeptis facultatibus requisitis, in familiis famulari valeant. Illae autem, quae indolis melioris sunt, subtiliora et tenuiora opera ingenio muliebri convenientia addiscunt in schola practica, quam simul ac filiae familiarum in civitate praestantium frequentant. Insuper sedecim senes debiles imbecillique hac domo recepti sunt, institutum formantes, ut ita dicam, beneficiariorum. Tota familia domus principalis Congregationis in praesenti 350 personas complectitur.

Admiranti autem tibi et quaerenti: “Quomodo et ex quo facta sunt omnia haec?”, respondere debeo: Fides in Deo posita et Benedictio Omnipotentis haec omnia aedificaverunt. - Et preces Rosarii haec omnia aedificaverunt, quia quot sunt lapilli et calculi in aedibus istis, tot, immo et plus, erant “Ave”, quae ex ore pupillorum et virginum ascenderunt et Matrem caelestem Dei Genetricem salutaverunt. - Et Sanctus Ioseph, custos et caput Sacrae Familiae, aedificavit et Filiis Sacrae Familiae coenobium edolavit. - Et infantes omnes, qui ab interitu erepti, in ulnis Religiosarum virginum somno aeterno obdormierunt et purissimi angeli in communionem Sanctorum introierunt, et isti aedificaverunt. - Et, quod silentio tegere nullo modo licet, principes omnes domus regalis Bavariensis, et praeprius ipse Rex nobilissimus ac munificentissimus Ludovicus, aedificaverunt et veluti lapides molares pro fundamentis condendis advolverunt. - Et ipsae virgines Religiosae aedificaverunt sacrificantes dotem suam simul ac sudorem.

Utinam benedictio, quam Reverendissimus Dominus noster Episcopus in visitatione canonica die 6 mensis Augusti 1859 peracta Pauperibus Religiosis Franciscalibus et pupillis paterno impertivit corde, fortior et fructuosior in dies inveniatur, sive quoad soliditatem interiorem huius Congregationis Religiosarum et institutorum beneficentiae domui principali adnexorum, sive quoad talem animum sacrificii, quo opera caritatis ad extra etiam provocentur, ad maiorem Dei gloriam et ad pupillorum et miserorum et aegrotorum consolationem.

RESPONSORIUM

2 Cor 6,10.4,15.16

R Exhibeamus nosmetipsos sicut egentes, multos autem locupletantes; tamquam nihil habentes, et omnia possidentes. * Omnia enim propter vos, ut gratia abundans per multos gratiarum actionem abundare facit in gloriam Dei.

V Propter quod non deficimus, sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpitur, tamen is, qui intus est, noster renovatur de die in diem. * Omnia enim.

Vel alia:

Ex sermone Beati Pauli Iosephi die 11 Septembris 1853 habito

Amor est vita nostra et finis noster

„Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.“ (Mt 10,37) Et qui amat fratrem aut sororem plus me, non est me dignus. Et qui propter me non omnia derelinquere potest, non est me dignus, dicit Divinus Magister. Cuius in spiritu dicere pergimus: Qui amat munus, litteras, artem, mercaturam, quaestum agrumque suum plus quam Deum, non est eo dignus. Homo christianus unum summum novit Deum. Certera omnia huic uni subiecta sunt et magni aestimantur, si ad hoc unum referuntur. Quam ob rem vir refendae civitatis peritus negotia, magister litteras, artifex artem agit; sed hoc agentes non quaerunt honorem hominum, lucrum mundi, commoda terrena, sed interrogant: Estne hoc voluntas Patris, qui in caelis est, et ipse sibi in me complacet? Hoc interrogant, cogitant, petunt.

Quid enim cor saepe dividit inter Deum et mundum, inter aeterna et temporanea, inter caelum et terram? Solum peccatum, quod Sanctus Augustinus amorem inordinatum nominat. Nam Deus non prius nos punit, quam cum ea diligimus, quae nobis diligenda non sunt. Cunctaque vitia nostra nihil aliud sunt quam amor degeneratus. Si diligitis Deum toto corde, sicut sacra scriptura postulat, peccatum contra vos iam nihil valet. Cupiditates quidem adhuc sentietis, sed amor eas excolit. Illecebrae inanes adhuc apparent, sed amor stimulos moderatur et vires resistendi roborat. Iterum atque interum invocabimini, ut officium et ius et veritatem negetis, sed amor est tutela, quae vos admonet, scutum, quod vos tegit, gladius, qui omnes sagittas infernas defendit. Donec migrabitis hoc tempore vitiorum, sentire non desinetis vos homines esse peccatores. Sed quo prius flamma amoris ardet in vobis, eo magis tentationibus carebitis, eo magis malum vincetis et Deo vestro appropinquabitis. Magis magisque ex lege carnis evadetis et legem spiritus cognoscetis, quae ad libertatem liberorum Dei perfectam perducit. Quis homines verius, purius, fidelius profundiusque amat quam homo christianus? Curnam? Quia eos non ipsorum causa, sed Dei gratia amat. In hominibus creaturas videt, quae e manu Dei exortae sunt sicut ipse, ad vitam aeternam vocatae sunt sicut ipse, et novit, quod Pater eis summum testimonium dignitatis eorum et summum argumentum amoris sui eo dedit, quod filium suum unigenitum tradidit, "ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam" (Io 3,16). Ei persuasum est, quod quaecumque uni ex his fratribus suis minimis facit (cf Mt 25,40), Deo facit. Quam ob

rem hos omnes amat, quam ob rem in amore suo acquiescere et opus pulchrum pro viribus benedicendi et benefaciendi finire non potest. Videte, quocumque cor eius amore attendit, amor in Deo fontem suum habet et finem. Hoc autem est: Deum ex toto corde amare.

Amor est vita nostra, amor est finis noster. Amorem unum Deus nos poscit, nam religio omnium officiorum manat ex eo.

RESPONSORIUM

Ps 144,9.18 Is 60,5

R Suavis Dominus universis, eius super omnia pera eius. * Tunc videbis et illuminaberis, et palpitabit et dilatabitur cor tuum.

V Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate. * Tunc videbis.

Oratio

Deus, qui in Ecclesia tua beatum Paulum Iosephum pastorem eximium simul ac patrem pauperum constituisti, da nobis, quaesumus, ut eiusdem suscitati exemplo tibi profundius inhaerentes in proximorum caritate crescamus. Per Dominum.

Die 4 maii
B. GUIDONIS, ABBATIS

De Communi sanctorum virorum: pro religiosis, praeter sequentia:

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

**Ex Epistola Guidonis Aretini Michaeli monacho
de ignoto cantu**

Vir Deo et hominibus carissimus

**Aut dura sunt tempora, aut divinae dispositionis
obscura discrimina, dum et veritatem fallacia et
caritatem saepe conculcet invidia, quae nostri
ordinis vix deserit societatem, quo Philistinorum
contio Israeliticam puniat pravitatem; ne si mox
fiat quidquid, ut volumus, adeo in se confidens
periturus decidat animus. Tunc enim est vere
bonum id, quod facimus, cum nostro Factori
adscribimus omne, quod possumus.
Inde est, quod me vides prolixis finibus
exulatum, ac teipsum, ne vel respirare quidem
possis, invidorum laqueis suffocatum.
Sed quia diffidit tua de libertate captivitas, rei
ordinem pandam. Summae sedis apostolicae
Iohannes, qui modo Romanam gubernat
ecclesiam, audiens famam nostrae scholae, et
quomodo per nostra antiphonaria inauditos
pueri cognoscerent cantus, valde miratus, tribus
nuntiis me ad se invitavit. Adii igitur Romam
cum Domino Grunvaldo, reverendissimo Abbate,
et Domino Petro, Aretinae ecclesiae
Canonicorum Praeposito, viro pro nostri
temporis qualitate scientissimo. Multum itaque
Pontifex meo gratulatus est adventu, multa**

**colloquens et diversa perquirens: nostrumque
velut quoddam prodigium saepe revolvens
antiphonarium, praefixasque ruminans regulas,
non prius destitit, aut de loco, in quo sedebat,
abscessit, donec unum versiculum inauditum sui
voti compos edisceret, ut quod vix credebat in
aliis, tam subito in se recognosceret. Quid plura?
Post paucos dehinc dies Patrem vestrum atque
meum D. Guidonem Pomposiae Abbatem, virum
Deo et hominibus merito virtutis et sapientiae
carissimum et animae meae partem videre
cupiens visitavi, qui et ipse vir perspicacis ingenii
nostrum antiphonarium ut vidit, extemplo
probavit et credidit, nostrisque aemulis se
quondam consensisse poenituit, et ut Pomposiam
veniam, postulavit; suadens mihi monacho esse
praeferenda monasteria episcopatibus, maxime
Pomposiam, propter Studium, quod modo est
per Dei gratiam et reverendissimi Guidonis
industriam nunc primum in Italia repertum.
Tanti itaque Patris orationibus flexus, et
praeceptis oboediens, prius auxiliante Deo volo
hoc opere tantum et tale monasterium illustrare,
meque monachum monachis praestare-**

RESPONSORIUM

Prov 3, 3-4; 3, 1a

R Misericordia et veritas te non deserant,
circumda eas gutturi tuo, et describe in tabulis
cordis tui! * Et invenies gratiam et disciplinam
bonam coram Deo et hominibus, alleluia.
V Fili mi, ne obliviscaris legis meae! * Et
invenies.

Vel alia:

**Epistola sancti Petri Damiani ad monachos
Pomposianos**

Obsecro ut pro me semper orare dignemini

Religiosissimis et sanctis viris omnibus, qui Pomposiae Deo deserviunt, Petrus devotissimae servitutis obsequium. Dilectissimi patres et domini, qualiter cor meum vestrae caritatis incendio ferveat, quibus circa Pomposiae monasterium amoris facibus inardescat, nolo scribere, ne fortasse videar adulationibus deservire. Cuius rei testis est ipsa conscientia, illis etiam non est prorsus occultum, qui mecum possunt frequenter habere colloquium. Vos etiam, dilectissimi, licet corporis habitatione semotum, nolite me extraneum esse decernere, nolite me etiam amicum quemlibet vel qualemcumque socium deputare, sed et nos et totum nostrum conventum quasi proprii vestri iuris possessionem esse indubitanter agnoscite, et quicquid vobis placuerit, tamquam vestris subiectis atque domesticis absque ulla cunctatione iubete. Unde vos, dilectissimi, lacrimabiliter obsecro, et ad sancta vestigia vestra me prostratus advolvo, ut pro me servo vestro semper orare dignemini, et praecipue cum mortuus fuero, quicquid de vestrae congregationis monacho facitis, hoc etiam de me misero facere studeatis. Rogo autem, domini mei, parvulam benedictionem de manu servi vestri benigne suscipite, et non quid sed a quo, non quantum sed ex quanto proferatur, attendite.

RESPONSORIUM Rom 15, 30; 1, 9b-10a

R Obsecro vos, fratres, per Dominum nostrum Iesum Christum. * Ut adiuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, alleluia.

V Sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis: * Ut adiuvetis.

Oratio

Domine Deus noster, qui corpus beati Guidonis abbatis Ecclesiae Spirensi custodiendum commendasti, praesta, quaesumus, ut qui de eiusdem sancti Guidonis annua gaudemus translatione, eius praesentia nosmetipsos instaurare et te super omnia diligere iuvenmur. Per Dominum.

(In civitate Spirensi:

Ad laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Obtulit inde Dux bonus idem recte colenda corpora Spirae. Ire, fideles, currite citi, sumite grata, alleluia.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Annua sunt hic munimina sacra, recale sui, Spira fidelis. Tibi praestabit cuncta rogata Guido beatus, alleluia.)

Die 30 iunii
S. OTTONIS,
EPISCOPI BABENBERGENSIS

De communi pastorum: praeter sequentia:

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

**Ex Ebbonis Vita Ottonis episcopi
Babenbergensis**

Sciebat enim dominis carnalibus sic quasi deo serviendum

Eo tempore gloriosissimus imperator Henricus magnum illud et admirabile Spirensis ecclesiae aedificium ob venerationem perpetuae virginis Mariae, cuius specialis alumnus fuit, regali magnificentia exstruebat. Sed magistri operis fraudulenter et sine dei timore agentes magnam pecuniae quantitatem suis usibus insumebant, ita ut frequenter ad opus tam mirificum pecunia ipsa deficeret. Unde augustus non mediocri dolore permotus, ex consultis accito familiari auriculario suo Ottone, ei totius operis magisterium commisit, utpote cuius sapientia cunctis probata, etiam ad maiora quaeque et ardua dispensanda esset idonea. Qui sagaciter et provide commisso operi intendens - sciebat enim iuxta apostolicum mandatum dominis carnalibus sic quasi deo serviendum - frequenter ad curtem regiam regressus, pecuniam, quae supererat statuto operi, fideliter ei resignabat. Insuper ad indicium ingeniosae diligentiae suae aequam fenestram ecclesiae mensuram prudenter a se dispositam imperatori considerandam offerebat. Pro qua sincerissimae fidei constantia non solum

regi sed et cunctis optimatibus ita se acceptum reddidit, ut deo gratias agerent, quod ad eius notitiam pervenissent.

RESPONSORIUM

Sir 50, 1. 4. 5b. 7

R Est sacerdos magnus qui in vita sua suffulsit domum et in diebus suis corroboravit. * Qui curavit gentem suam et liberavit illam a pernicie. **V** Et ingressum domus et atrii amplificatus est, et quasi sol refulgens sic ille effulsit in templo Dei. * Qui curavit.

Vel alia:

**Ex Tractatu sancti Bernardi abbatis de moribus
et officio Episcopi**

Episcopus quaerat aut Dei honorem aut salutem proximorum

Puritas cordis in duobus consistit: in quaerenda gloria Dei, et utilitate proximi; ut in omnibus videlicet actis vel dictis suis nihil suum quaerat episcopus, sed tantum aut Dei honorem, aut salutem proximorum, aut utrumque. Hoc enim agens implebit non solum pontificis officium, sed et etymologiam nominis, pontem utique se ipsum faciens inter Deum et proximum. Pertingit pons iste usque ad Deum ea fiducia, qua non suam, sed illius gloriam quaerit. Pertingit usque ad proximum illa pietate, qua et ipsi, non sibi prodesse desiderat. Offert Deo bonus mediator preces et vota populorum: reportans illis a Deo benedictionem et gratiam. Supplicat maiestati pro excessibus delinquentium, vindicat in peccantes iniuriam Dei. Ingratis improperat

beneficia pietatis, contemnentibus potentiae severitatem insinuat, utrisque tamen nihilominus placare studet indignantis furorem: nunc quidem hominum obtendens infirmitatem, nunc divinae magnitudinem pietatis. Denique sive excedat Deo, sive sobrius sit nobis, aut Deo semper, quantum in ipso est, praestare gestit, aut nobis, non quod sibi omnino utile est quaerens, sed quod multis.

Fidelis pontifex, qui bona quaelibet per manus suas transeuntia, sive divina beneficia ad homines, sive hominum vota ad Deum, columbino intuens oculo, nihil sibi retentat ex omnibus. Nec populi requirit datum, sed lucrum, nec Dei gloriam usurpat sibi. Acceptum talentum non ligat in sudario, sed paritur nummulariis, a quibus et usuras recipit, non sibi, sed Domino.¹

¹cf. Mt 25, 14-30.

RESPONSORIUM

Mt 25, 21. 20

R Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: * Intra in gaudium Domini tui.

V Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce, alia quinque superlucratus sum. * Intra.

Oratio

Omnipotens et misericors Deus, cuius spiritu roboratus, beatus Otto episcopus innumerabilem multitudinem credentium Ecclesiae tuae adiunxit et aeternae vitae mysteriis munivit, praesta nobis auxilium gratiae tuae, ut donum fidei, quod te largiente accepimus, grato corde servare valeamus. Per Dominum.

Die 8 iulii
S. DISIBODI, EREMITAE

De Communi sanctorum virorum: pro religiosi, praeter sequentia:

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Sequentia sanctae Hildegardis de sancto Disibodo

Propter perspicuam vitam mundum vendidisti

**O praesul verae civitatis,
qui in templo angularis lapidis
ascendens in caelum,
in terra prostratus fuisti
propter Deum.**

**Tu peregrinus a semine mundi
desiderasti exsul fieri
propter amorem Christi.**

**O mons clausae mentis,
tu assidue pulchram faciem aperuisti
in speculo columbae.**

**Tu in absconso latuisti,
inebriatus odore florum,
per cancellos sanctorum emicans Deo.**

**O culmen in clavibus caeli,
quod propter perspicuam vitam mundum
vendidisti.**

Hoc certamen, alme confessor, semper habes in Domino.

**In tua enim mente fons vivus clarissima luce
purissimos rivulos eduxit
per viam salutis.**

**Tu magna turris ante altare summi Dei,
et huius turris culmen obumbrasti per fumum aromatum.**

**O Disibode, in tuo lumine
per exempla puri soni
membra mirificae laudis aedificasti
in duabus partibus per Filium hominis.**

**In alto stas, non erubescens ante Deum vivum,
et protegis viridi rore
laudantes Deum ista voce.**

**O dulcis vita et o beata perseverantia, quae in
hoc beato Disibodo
gloriosum lumen semper aedificasti in caelesti
Ierusalem.**

**Nunc sit laus Deo,
in forma pulchrae tonsurae
viriliter operante.**

**Et superni cives gaudeant de his, qui eos hoc
modo imitantur.**

RESPONSORIUM

R O viriditas digiti Dei, in qua Deus constituit plantationem, quae in excelso resplendet ut statuta columna. * Tu gloriosa in praeparatione Dei.

V Et o altitudo montis, quae numquam dissipaberis in differentia Dei, tu tamen stas a longe ut exsul, sed non est in potestate armati, qui te rapiat. * Tu gloriosa.

Vel alia:

Ex Epistola XLII sancti Basilii Magni episcopi ad Chilonem discipulum suum

Hic Christus solitudinis amator

Et praesertim cum prava insurgens cogitatio dixerit: Quae utilitas degendi in hoc loco? quod lucrum secessus ab hominum societate?

Cum igitur talibus ac tantis te speciosis rationibus prava insurgens cogitatio frangere voluerit; oppono ei per piam ratiocinationem ipsius rei experientiam, dicens: Quandoquidem tu mihi dicis bona esse quae in mundo sunt, propterea ego illuc transmigravi, indignum meipsum iudicans mundi bonis. Sunt enim mundi bonis mala admixta, ac longe exsuperant mala.

Itaque eam ob causam ego velut passer transmigro in montes. Sum enim sicut passer ex laqueo venantium liberatus. Etenim in hac solitudine dego, o mala cogitatio, in qua Dominus versatus est. Hic quercus Mambre: hic scala ferens ad coelum, et angelorum castra a Iacob conspecta; hic solitudo, in qua populus purificatus legem accepit, et ita demum in

terram promissionis ingressus Deum vidit. Hic mons Carmelus, in quo Elias commorans placuit Deo; hic campus, in quem cum Esdras secessisset, omnes libros divinitus inspi-ratos, Deo iubente, eructavit. Hic solitudo, in qua beatus Ioannes, locustas edens, hominibus paenitentiam praedicavit. Hic mons Oli-varum, in quem cum Christus ascendisset oravit, orare nos docens. Hic Christus solitudinis amator. Ait enim: Ubi duo sunt aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.¹ Hic angusta et areta via, quae ducit ad vitam. Hic doctores et prophetae, in solitudinibus errantes, ac montibus, speluncisque et foraminibus terrae.² Hic apostoli et evangelistae, et monachorum semota ab urbibus vita. Haec itaque ultro suscepi, ut consequar quae Christi martyribus et omnibus aliis sanctis promissa sunt; ut vere ac citra mendacium dicam: Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.³

¹Mt 18, 20. ²Hebr 11, 38. ³Ps 16, 8.

RESPONSORIUM

R O felix anima, cuius corpus de terra ortum est, quod tu cum peregrinatione huius mundi conculcasti. * Unde de divina rationalitate, quae te speculum suum fecit, coronata es.

V Spiritus Sanctus etiam te ut habitaculum suum intuebatur. * Unde de divina.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. O mirum admirandum, quod absconsa forma praecellit, ardua in honestate statura, ubi vivens altitudo profert mystica. Unde, o Disibode, surges in fine, succurente flore omnium ramorum mundi, ut primum surrexisti.

Oratio

Domine, Deus noster, cuius munere sanctus Disibodus mundum relinquens abnegationi et orationibus totum se dedit, concede, quaesumus, nobis, ut, eius exemplo, animo prompto tibi oboediamus et munera nostra alacri studio adimpleamus. Per Dominum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. O beata infantia electi Disibodi, quae a Deo ita inspirata est, quod postea sanctissima Opera in mirabilibus Dei ut suavissimum odorem balsami exsudasti.

Die 15 iulii
B. BERNARDI,
BADENSIS MARCHIONIS

De Communi sanctorum virorum, praeter sequentia:

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Annalibus Hirsaugiensibus Ioannis Trithemii
abbatis

Omni tempore et loco in timore domini vigilans

Erat Iacobo marchioni quintus adhuc filius nomine Bernardus, qui ut publice multorum ferebatur testimonium castitatis amore virgo permansit usque ad mortem. Hic a pueritia sua doctus timere deum in omni puritate vitam suam custodivit; nam etsi arma tractavit ut princeps, neminem unquam offendit, neminem laesit, nemini contumeliam vel iniuriam fecit. Multo tempore in curia Caesaris Friderici militavit, sed vitia curialium non contraxit, mente et opere monacho semper similior quam militi. Amator erat pauperum et diligentissimus advocatus egenorum. Quoties in circumeundo imperatoris curiam monachum vel clericum pauperem sive rusticum aut quemlibet alium vidisset, qui propter humilem sui conditionem vel inopiam desideratum ad Caesarem vel officiales eius non poterat obtinere accessum, ipse pro dei amore fidelis advocati sumens officium causam pauperis promovit et egit nec sollicitare destitit, donec pauperem iusta petentem suo desiderio satiasset. Tantae miserationis et pietatis fuit in pauperes, ut

quidquid habere potuit, totum in usum eorum sine discretionem personarum erogavit.

Ad nudam carnem cilicium aut laneam portabat camisiam, quam tamen cultioribus vestimentis de foris indutus, ut decuit principem, sagaciter occultabat. In orationibus fuit assiduus et saepe laetantibus aliis ipse tacitus compunctionis vi lacrimas et preces domino secretus effundebat. Numquam ex eo tempore, quo sanctam hanc vivendi consuetudinem assumpsit, dormitum se reposuit, nisi prius confessionem earum negligentiarum quae forsitan occurrissent in die, sacerdoti capellano, quem semper habuit ad manum, compuncta devotione fecisset. Dicebat enim: nihil christiano homini fore periculosius, quam in eo dormire statu, in quo mori non auderet. Quod vir deo dilectus prudenter considerans, ne imparatus praeoccuparetur a morte, omni tempore et loco in timore domini vigilans mortem exspectabat. Moritur tandem aetate virili, plenus operibus bonis et sicuti dicit scriptura: placens deo factus est dilectus et vivens inter peccatores translatus est. Raptus est enim, ne malitia mutaret intellectum eius aut ne fictio deciperet animum illius: Placita erat anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. Consummatus in brevi explevit tempora multa.

RESPONSORIUM

Sap 4, 13.14

R Consummatus in brevi, beatus Bernardus explevit tempora multa: * Placita enim erat Deo anima illius. Propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.

V Coronam gloriae et sertum exultationis accepit de manu Domini. * Placita enim.

Vel alia:

Ex Libro „De Imitatione Christi“ Thomae a Kempis

De laetitia bonae conscientiae

1. Gloria boni hominis, testimonium bonae conscientiae.

Habe bonam conscientiam, et semper habebis laetitiam.

Bona conscientia valde multa potest portare, et valde laeta est inter adversa. Mala conscientia semper timida est et inquieta.

Suaviter requiesces, si cor tuum te non reprehenderit.

Noli laetari, nisi cum bene feceris. Mali nunquam habent veram laetitiam, nec internam sentiunt pacem; quia non est pax impiis, dicit Dominus.

Et si dixerint: in pace sumus, non venient super nos mala, et quis nobis nocere audebit? Ne credas eis; quoniam repente exsurget ira Dei, et in nihilum redigentur actus eorum, et cogitationes eorum peribunt.

2. Gloriari in tribulatione non est grave amanti; sic enim gloriari, est gloriari in cruce Domini.

Brevis gloria, quae ab hominibus datur et accipitur.

Mundi gloriam semper comitatur tristitia. Bonorum gloria in conscientiiis eorum, et non in ore hominum.

Iustorum laetitia de Deo et in Deo est, et gaudium eorum de veritate.

Qui veram et aeternam gloriam desiderat, temporalem non curat.

Et qui temporalem quaerit gloriam, aut non ex animo contemnit, minus amare convincitur caelestem.

Magnam habet cordis tranquillitatem, qui nec laudes curat nec vituperia.

3. Facile erit contentus et pacatus, cuius conscientia munda est.

Non es sanctior, si laudaris, nec vilior, si vituperaris.

Quod es, hoc es; nec melior dici vales, quam Deo teste sis.

Si attendis, quid apud te sis intus, non curabis, quid de te loquantur homines.

Homo videt in facie, Deus autem in corde. Homo considerat actus, Deus vero pensat intentiones. Bene semper agere et modicum de se tenere humilis animae indicium est.

Nolle consolari ab aliqua creatura, magnae puritatis et internae fiduciae signum est.

4. Qui nullum extrinsecus pro se testimonium quaerit, liquet, quod totaliter se Deo commisit.

Non enim, qui se ipsum commendat, ille probatus est, ait beatus Paulus, sed quem Deus commendat.

Ambulare cum Deo intus, nec aliqua affectione teneri foris, Status est interni hominis.

RESPONSORIUM

Ps 41, 13; 84, 11

R Propter innocentiam suscepisti me, Domine, *
Et statuisti me in conspectu tuo in aeternum.

V Elegi ad limen esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. * Et statuisti.

Oratio

**Omnipotens Deus, qui beatum Bernardum
praeclara virtute decorasti, ut seipsum magno
animo populo tuo impenderet, da nobis,
quaesumus, ut eius exemplo quae agenda sunt
cognoscamus et in mundo iustitiam, libertatem
et pacem propugnemus. Per Dominum.**

Die 1 augusti
S. PETRI FABRI, PRESBYTERI

De Communi sanctorum virorum: pro religiosis, praeter sequentia:

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Memoriali beati Petri Fabri

Commemoratio tam beneficiorum quam peccatorum
huius regionis

In hoc mense Octobris, die quadam, dum agerem in quodam Castro et oppidulo apud dominum Spirensem, et surrexissem media nocte ad orationem, ego incidi in quaedam colloquia ad Deum, et beatam Virginem, et sanctos, pro illo populo, quantum ad vivos et quantum ad defunctos, et hoc magna cum devotione et multis lacrimis. Discursus au-em, qui mihi tunc dabatur, erat circa recognitionem universalem [beneficiorum] quae ego animadvertēbam recepisse illum populum; petendo veniam nomine omnium, agendo gratias in Omnibus, et petendo varias gratias. Dolebar propter defectus. Optabam ut omnia quae mihi Deus per se et per sanctos suos operatus fuerat et adhuc operabatur, recognoscerentur. Dicebam ergo: „O Domine Iesu Christe, quis recognovit bonitatem tuam, qua factum est ut hic essent tam multa bona temporalia, ut hic tamdiu manserint sacramenta Eucharistiae, ceteraque sacramenta et verba et ritus doctrinae christianae? Parce, Domine, quod haec non hic cogitantur, quod non

petuntur, quod ignorantur. Parce, quod animae purgandorum non sunt in memoria istorum, prout egent. Conserva, Domine, huic populo haec omnia bona; nec ad ignorantias et negligentias, aut ingrattitudines velis respicere; sed ad Christum redemptorem, et ad sanctos angelos, et ad sanctas animas, quae omnia recognoscunt pro nobis.“ In hac commemoratione, tam beneficiorum quam peccatorum, quae hactenus in iis locis essent commissa, ego includebam fructus terrae, pacem temporalem, fidem catholicam, templa, imagines, administrationem sacramentorum et ipsa sacramenta, aquam benedictam, reliquias sanctorum corporum, reservacula ossium mortuorum; quod habuissent tamdiu successionem dominorum temporalium, quibus tenerentur in pacifico bono, quod habuissent sacerdotes, episcopos et praedicatores. Optabam etiam multa illis bona optima, ut, quod cognoscant haec omnia, quod cognoscant bonum quod est ipsis in Deo suo, et in Christo Iesu incarnato, nato, circumciso, mortuo, etc.; [item] in virgine Maria, in angelis et sanctis, in rebus sacris, in mortuis, qui sunt in purgatorio, in Scripturis, etc.

RESPONSORIUM

Ps 115, 18-19, 17

R Vota mea Domino reddam coram omni populo eius. * In atriis domus Domini, in medio tui, Ierusalem.

V Tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo. * In atriis.

Oratio

**Deus, qui nos sanctorum tuorum exemplo
suscitas ad meliorem vitam et fidei profectum,
praesta, quaesumus, ut ex imitatione beati Petri
te super omnia diligentes fratribus sincero corde
serviamus. Per Dominum.**

Die 9 augusti
S. TERESIAE BENEDICTAE A CRUCE -
EDITH STEIN - MARTYRIS ET
RELIGIOSAE

Festum

**De Communi unius martyris vel sanctarum mulierum: pro
religiosis, praeter sequentia:**

Oratio

**Deus patrum nostrorum, qui Beatam Teresiam
Benedictam martyrem ad agnitionem Filii tui
crucifixi eiusque imitationem usque ad mortem
perduxisti, ipsa intercedente, concede, ut omnes
homines Christum Salvatorem agnoscant et per
eum ad perpetuam tui visionem perveniant. Qui
tecum vivit et regnat.**

Die 15 augusti
IN ASSUMPTIONE BEATAE MARIAE
VIRGINIS

Solemnitas

De Proprio de sanctis, praeter sequentia:

Ad Invitorium

Ant. Venite adoremus Regem regum, cuius hodie
ad aethereum Virgo Mater, dilecta nostra
Patrona, assumpta est caelum.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Die 10 septembris
S. THEODARDI,
EPISCOPI ET MARTYRIS

De Communi pastorum vel de Communi pro uno martyre,
praeter sequentia:

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

**Ex Sermonibus sancti Caesarii Arelatensis
episcopi**

Studeamus plebem nobis creditam verbis informare et exemplis

Multa enim nomina sacerdotibus convenienter aptantur: nam et pastores dicimur, et gubernatores vel episcopi nominamur. Si in veritate pastores sumus, gregi dominico spiritalia pascua providere debemus. Si gubernatores sumus, ita inter fluctus saeculi istius deo adiutore navim ecclesiae debemus viriliter et fortiter gubernare, ut de fluctibus omnibus et tempestatibus absque errore directo cursu paradisi portum possimus intrare. Episcopus enim interpretatur superinspector; et ideo, quia in superiori loco positi sumus, nominis nostri officium auxiliante domino cum grandi diligentia compleamus, et semper de ovibus dominicis solliciti simus, timentes illud quod terribiliter dominus de sacerdotibus vel abbatibus clamat: Ego, inquit, requiram oves meas de manu pastorum: Quia quod fractum erat non consolidastis, quod perierat non conquisivistis, et quod sanum et integrum consumpsistis. Quia, sicut iam supra suggesti, ad

regendam navim ecclesiae a domino constituti sumus, ita duorum testamentorum gubernaculis auxiliante domino navim ecclesiae gubernemus, ut nec ad dexteram nec ad sinistram partem per aliquam negligentiam declinantes, in tanta pericula mundi istius directum vitae cursum tenere possimus sine labore. Sicut enim ulla navis sine multis laboribus non potest aliqua terrena conquirere, ita et navis ecclesiae sine multis tribulationibus non potest ad lucrum vel gaudium aeternae patriae pervenire. Et quomodo gubernatores navium, si nimia somnolentia inutili securitate torpescant, et nauticis suis quod observare debeant non ostendant, cito naufragium patiuntur, ita et gubernatores ecclesiae, nisi cum omni vigilantia docendo, terrendo, interdum etiam distringendo, nunc leniter castigando, nunc etiam cum severitate diem iudicii comminando, rectum vitae aeternae cursum tenere praeceperint, timendum est ne inde habeant iudicium, unde habere potuerant remedium. Nos ergo, quantum in nobis est, inspirante et auxiliante domino studeamus plebem nobis creditam verbis informare et exemplis, ut cum ante tribunal aeterni iudicis venerimus, fiducialiter dicere mereamur: Ecce ego, Domine, et pueri quos dedisti mihi.

RESPONSORIUM

Cf. Act 20, 28; 1 Cor 4, 2

R Attendite universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos * Regere Ecclesiam Dei, quam Deus acquisivit sanguine Filii sui.

V Quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. * Regere.

Vel alia:

**Ex sermonibus sancti Maximi episcopi
Taurinensis**

Veneratio martyrum, qui in nostris domiciliis proprium
sanguinem profuderunt.

Cum omnium sanctorum martyrum, fratres, devotissime natalem celebrare debeamus, tum praecipue eorum sollemnitatis tota nobis veneratione curanda est, qui in nostris domiciliis proprium sanguinem profuderunt. Nam licet universi sancti ubique sint et omnibus prosint, specialiter tamen illi pro nobis inter-veniunt, qui et supplicia pertulere pro nobis. Martyr enim cum patitur, non sibi tantum patitur sed et civibus. Sibi enim patitur ad praemium civibus ad exemplum, sibi patitur ad requiem civibus ad salutem. Exemplo enim eorum didicimus Christo credere, didicimus contumeliis vitam aeternam quaerere, mortem didicimus non timere. Videte ergo quid martyribus debeamus, in quo alter tortus est, ut alius salvaretur; alter carnificem pertulit, ut Christum alter agnosceret; alter morti addictus est, ut alius vita potiretur aeterna; et ad postremum sanctus occisus est, ut peccator evaderet! Beati igitur martyres nec sibi vixerunt nec sibi sunt mortui. Exemplum enim nobis reliquerunt bene vivendo conversationis tolerando fortiter passionis. Nam ideo Dominus per totum mundum diversis in locis pati martyres voluit, ut tamquam idonei testes nos praesentia quadam fidei exemplo suae confessionis urgerent; ut humana fragilitas, quae praedicationi dominicae auditu longiore vix credit, vel praesenti oculorum testimonio martyrio crederet beatorum. Et ideo, fratres,

veneremur eos in saeculo quos defensores habere
possimus in futuro; et eis fidei imitatione
iungamur!

RESPONSORIUM

Io 15, 19-20; 15, 21a

R Quia de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. * Non est servus maior domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur.

V Sed haec omnia facient vobis propter nomen meum. * Non est servus.

Oratio

Deus, qui beato Theodardo martyri pro iustitia magno animo vitam profundere tribuisti, da nobis, eius intercessione, nostram pro Christo vitam in hoc saeculo abnegare, ut eam in caelo invenire possimus. Per Dominum.

Die 17 septembris
S. HILDEGARDIS, ABBATISSAE

De Communi sanctarum mulierum: pro religiosis, praeter sequentia:

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex libro „Scivias“ sanctae Hildegardis virginis

Igneum lumen aperto caelo veniens

Factum est in millesimo centesimo quadragésimo primo Filii Dei Iesu Christi incarnationis anno, cum quadraginta duorum annorum septemque mensium essem, maximae coruscationis igneum lumen aperto caelo veniens totum cerebrum meum transfudit et totum cor totumque pectus meum velut flamma non tamen ardens sed calens ita inflammavit, ut sol rem aliquam calefacit super quam radios suos ponit. Et repente intellectum expositionis librorum, videlicet psalterii, evangelii et aliorum catholicorum tam veteris quam novi Testamenti voluminum sapiebam. Sed puellari meta transacta, cum ad praefatam aetatem perfectae fortitudinis pervenissem, audivi vocem de caelo dicentem: „Ego lux vivens et obscura illuminans hominem quem volui et quem mirabiliter secundum quod mihi placuit excussi in magnis mirabilibus trans metam antiquorum hominum, qui in me multa secreta viderunt, posui; sed in terram stravi illum, quod se non erigeret in ulla elatione mentis suae. Mundus quoque non habuit in eo gaudium nec lasciviam nec exercitationem

in rebus illis quae ad mundum pertinent, quia eum de pertinaci audacia abstraxi, timorem habentem et in laboribus suis paventem. Ipse enim in medullis et in venis carnis suae doluit, constrictum animum et sensum habens atque multam passionem corporis sustinens, ita quod in eo diversa securitas non latuit, sed in omnibus causis suis se culpabilem aestimavit. Nam rimas cordis eius circumsaepsi, ne mens ipsius per superbiam aut per gloriam se elevaret, sed ut magis in omnibus his timorem et dolorem quam gaudium aut quam petulantiam haberet.“

Sed ego, quamvis haec viderem et audirem, tamen propter dubietatem et malam opinionem et propter diversitatem verborum hominum, tamdiu non in pertinacia, sed in humilitatis officio scribere recusavi, quousque in lectum aegritudinis flagello Dei depressa caderem; ita quod tandem multis infirmitatibus compulsa, manus ad scribendum apposui. Quod dum facerem, altam profunditatem expositionislibrorum, ut praedixi, sentiens, viribusque receptis de aegritudine me erigens, vix opus istud decem annis consummans ad finem perduxi.

In diebus Henrici Moguntini archiepiscopi et Conradi Romanorum regis et Cunonis abbatis in monte beati Disibodi pontificis, sub papa Eugenio, hae visiones et verba facta sunt.

Et dixi et scripsi haec non secundum adinventionem cordis mei aut ullius hominis, sed ut ea in caelestibus vidi, audivi et percepi per secreta mysteria Dei.

Et iterum audivi vocem de caelo mihi dicentem: „Clama ergo et scribe sic.“

RESPONSORIUM Dan 2, 21c-22; 1 Cor 12, 11

R Dominus dat sapientiam sapientibus et scientiam intellegendis disciplinam. * Ipse revelat profunda et abscondita et novit in tenebris constituta et lux cum eo est.

V Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. * Ipse revelat.

Vel alia:

Epistola sanctae Hildegardis ad Gunterum, episcopum Spirensis

Hanc causam admonitionis noli abscindere a te

Lux summae inspirationis, o homo, tibi dicit: Admonitionem Spiritus Sancti, qui in te ascendit, ne abscindas a te per malam consuetudinem operum tuorum, quia Deus requirit in te, quod olim attendit perditam ovem reducere, quando crimina hominum abstersit. Et antiquus illusor confusus est, cum eum fortissimus bellator superavit. Deus per fenestras aspicit ad te, quia pius et misericors est. Hoc nullus homo derideat per ullam opinionem voluntatis suae. Audi: Hanc causam admonitionis noli abscindere a te, ne Deus te percutiat per flagella sua. Quoniam vult in zelo suo hanc inimicabilem causam prosternere, quod sodales ipsius per socios suos ipsum in ostensione sua derident. Unde arcum admonitionis suae vibrat, demonstrans quia nullus ei resistere possit. Unde tu, homo, qui multa nigredine involutus es, surge citius ad ruinam, et aedifica in caelestibus ut nigri et sordidi erubescant in tua exultatione, cum

surgis a nigredine tua, quia anima tua vix vivit propter opera tua. Tua autem aspicias quasi per figuram ad aliam vitam, quae intentio fulget in te sicut aurora lucis. Mens tua cribrat et excutit se in magnis tormentis, ubi pinguis natura te affligit in tortuosis desideriis. Hunc humorem evade. Audi, homo: Vir quidam terram habuit, quae magnam vim in se ostendit, quando aratrum ipsam evertit, ita quod multo germine protulit quemque fructum, qui in ipsa seminabatur. Tunc placuit viro huic, ut in terra illa hortum aromatum faceret, et in eo crescerent aromata in suavissimo odore ad medicinam vulnerum et cicatricum. Et terra illa melior effecta est, quam prius fuisset. Nunc tu, o homo, elige quid in his duabus partibus tibi utilius sit. Fundamentum enim caelestis Ierusalem positum est primum de istis lapidibus, qui in magnis casibus vulnerati erant, et in cicatricibus vitiorum polluti, qui postmodum crimina sua opprimunt in paenitentia. Faber mundi, fundamentum istud primum de rugosis, et impolitis lapidibus posuit, et lapides isti totam civitatem Dei sustentant. Ideo fuge laseiviam huius mundi in naufragio immunditiae, et esto similis sardio et similis topazio, et velox sicut cervus haurire in lingua purissimum fontem, et vives in aeternum.

RESPONSORIUM Is 55, 7; Ioe 2, 13; Ez 33, 11

R Derelinquat impius viam suam et vir iniquus cogitationes suas et revertatur ad Dominum et miserebitur eius. * Quia benignus et misericors est.

V Non vult Dominus mortem impii, sed ut revertatur impius a via sua et vivat. * Quia benignus.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. O dignissima Christi sponsa, quam lux prophetiae illustravit, zelus apostolicus inflammavit, laurea virginum coronavit, divini amoris incendium consummavit!

Oratio

Fons omnis vitae, Deus, qui beatam Hildegardem spiritu prophetiae implere dignatus es, praesta nobis auxilium gratiae tuae, ut, eius exemplo, vias tuas meditantes et monita tua sequentes, in tenebris huius mundi claritatis tuae lucem cognoscere valeamus. Per Dominum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Hildegardis prophetissa, Spiritus Sancti splendoribus illustrata, vias Domini revelavit.

Die 5 octobris
IN DEDICATIONE ECCLESIAE
CATHEDRALIS

In ecclesia cathedrali: Sollemnitatis
In aliis ecclesiis dioecesis Spirensis: Festum

De Communi dedicationis ecclesiae, praeter sequentia:

Ad Invitatorium

Ant. Christum, Regem regum, per quem reges regnant, venite adoremus!

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario.

Ad Officium lectionis

LECTIO PRIOR

De libro Apocalypsis beati Ioannis apostoli 21, 9-27

Ostendit mihi civitatem sanctam Ierusalem

Venit unus de septem Angelis habentibus phialas plenas septem plagis novissimis, et locutus est mecum, dicens: Veni, et ostendam tibi sponsam, uxorem Agni. Et sustulit me in spiritu in montem magnum, et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Ierusalem descendentem de caelo a Deo, habentem claritatem Dei: et lumen eius simile lapidi pretioso tamquam lapidi iaspidis, sicut crystallum. Et habebat murum magnum, et altum, habentem portas duodecim: et in portis Angelos duodecim, et nomina inscripta, quae sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel.

Ab Oriente portae tres: et ab Aquilone portae tres: et ab Austro portae tres: et ab Occasu portae tres. Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni. Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundinam auream, ut metiretur civitatem, et portas eius, et murum, et civitas in quadro posita est, et longitudo eius tanta est quanta et latitudo: et mensus est civitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia: et longitudo, et altitudo, et latitudo eius aequalia sunt. Et mensus est murum eius centum quadraginta quattuor cubitorum, mensura hominis, quae est angeli. Et erat structura muri eius ex lapide iaspide: ipsa vero civitas aurum mundum simile vitro mundo. Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum, iaspis: secundum, sapphirus: tertium, calcedonius: quartum, smaragdus: quintum, sardonyx: sextum, sardius: septimum, chrysolithus: octavum, beryllus: nonum, topazius: decimum, chrysoprasus: undecimum, hyacinthus: duodecimum, amethystus. Et duodecim portae, duodecim margaritae sunt, per singulas: et singulae portae erant ex singulis margaritis: et platea civitatis aurum mundum, tamquam vitrum perlucidum. Et templum non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, et Agnus. Et civitas non eget sole, neque luna ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est Agnus. Et ambulabunt gentes in lumine eius: et reges terrae afferent gloriam suam, et honorem in illam. Et portae eius non claudentur per diem: nox enim non erit illic. Et afferent gloriam, et honorem gentium in illam. Non intrabit in eam aliquod

coinquinatum, aut abominationem faciens, et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitae Agni.

RESPONSORIUM Cf. Ap 21, 21; Tob 13, 21. 22. 13

R Plateae tuae, Ierusalem, sternentur auro undo, et cantabitur in te canticum laetitiae, * Et per omnes vicos tuos ab universis dicitur: Alleluia.

V Luce splendida fulgebis, et omnes fines terrae adorabunt te. * Et per omnes.

LECTIO ALTERA

Ut in Communi dedicationis ecclesiae.

Vel alia:

Ex Dialogo miraculorum Caesarii Heisterbaccensis monachi

Delectatio non in aedificiis corruptibilibus sed in structura
Ierusalem caelestis

Causa exstitit, ut quidam ex Abbatibus ordinis nostri pro negotio ordinis ad Henricum Imperatorem filium Frederici mitterentur. Inter quos praecipuus videbatur tam sanctitate quam dignitate, dominus Petrus monoculus Abbas Claraevallis, cuius mentio habita est in distinctione sexta capitulo undecimo. Et quia dominus Cisterciensis in propria persona venire non potuit, Priorem suum pro se misit. Venientibus eis Spiram cum in ecclesia beatae Dei Genitricis, cuius structura stupendae magnitudinis est, orassent, cunctis ocius ab oratione surgentibus, et eiusdem ecclesiae

aedificia circumlustrando considerantibus, iam dictus Petrus, cuius cogitatus et delectatio non fuit in aedificiis corruptibilibus, sed in structura Ierusalem caelestis, in oratione perseveravit. Tandem omnibus egressis, cum in porticu ecclesiae a canonicis honorifice fuissent salutati, et cum instantia multa ad prandium invitati, requisitum est a quodam Abbate, in cuius honore ecclesia ea dem esset consecrata. Respondentibus clericis, in honore Dominae nostrae, Abbas Claraevallis inconsiderate subiunxit: Et ego sciebam. Quod verbum Prior Cistercii considerans, tunc quidem tacuit, sed mox ut egressi sunt civitatem, eiusdem verbi recordatus, ait Abbati: Domine Abbas, dicite mihi, unde sciebatis Spirensis monasterium in honore Dominae nostrae fuisse consecratum? Ille de verbo prolato dolens, respondit: Visum est mihi bene decere, ut tam mirificae structurae patrona foret mater Dei et caelorum Regina. Prior bene cognoscens eius sanctitatem, et quia aliquid sibi in ecclesia revelatum fuisset, ex responsione coniciens, adiecit: Ego in hac via vicem gero domini Abbatis Cisterciensis, in cuius auctoritate vobis praecipio, ut non mihi dicatis nisi veritatem. Tunc ille oboedientia artatus, cum verecundia respondit: Quando prostratus coram altari pro peccatis meis et viae nostrae negligentis attentius oravi, ipsa beata Virgo Maria mihi apparens, benedictionem, quam ordo noster super redeuntes de via dicere consuevit, super me dedit in haec verba: Omnipotens sempiternus Deus, miserere huic famulo tuo, et quicquid ei in via subripuit visus aut auditus malae rei aut otiosi sermonis, totum ineffabili pietate propitiatus indulge, per Christum Dominum nostrum. Haec mihi relata

sunt a quodam Abbate religioso ordinis nostri, in cuius domo idem Petrus saepius visitavit. Ex benedictione enim intellexit, eam ibidem fuisse patronam. Novicius: Felix oratio, per quam tantae Virginis meretur benedictio. Monachus: Non solum orantes, sed et psallentes sua benedictione consolari consuevit.

RESPONSORIUM Tob 13, 21; Ap 21, 19-21

R Lapidem pretiosum omnes muri tui. * Et turres Ierusalem gemmis aedificabuntur.

V Portae Ierusalem ex sapphiro et smaragdo aedificabuntur, et ex lapide pretioso omnis circuitus muri eius. * Et turres.

Te Deum.

Oratio, ut ad Laudes matutinas.

Die 3 novembris
S. PIRMINII, ABBATIS ET EPISCOPI

De Communi pastorum, praeter sequentia:

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

E Dictis sancti Pirminii

Ecce qualis pactio et promissio apud deum tenetur

Ergo, carissimi, ut Spiritus Sanctus per prophetam dicit: „Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab idolis vestris universis mundabo vos, et dabo vobis cor novum, et spiritum meum ponam in medio vestri.“ Et in evangelio: „Nemo intrat in regnum Dei, nisi qui renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto“, hoc est, nisi qui crediderit et baptizatus fuerit. Ideo, fratres, ad memoriam vestram reducimus, qualem pactum in ipso baptisterio cum deo fecimus, verbi gratia, cum interrogati singuli nomen nostrum a sacerdote fuimus, quomodo diceremus, respondisti aut tu, si iam poteras respondere, aut certe, qui pro te fidem fecit, qui te de fonte suscepit, et dixit: Iohannis dicitur, aut aliud nomen. Et interroga vit sacerdos: Iohannis, abrenuntias diabolo et omnibus operibus eius et Omnibus pompis eius ? Respondisti: Abrenuntio, hoc est despicio et derelinquo omnia opera mala et diabolica. Post istam abrenuntiationem diaboli et omnium operum eius interrogatus es a sacer-dote: Credis in Deum patrem omnipotentem, creatorem caeli

et terrae? Et respondisti: Credo. Et iterum: Credis et in Iesum Christum, filium eius unicum, dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus, descendit ad interna, tertia die surrexit a mortuis, ascendit ad caelos, sedit ad dexteram Dei patris omnipotentis, inde venturus iudicare vivos et mortuos? Et respondisti: Credo. Et tertio interrogavit sacerdos: Credis in Spiritum Sanctum, sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam? Respondisti aut tu, aut patrinus pro te: Credo. Ecce qualis pactio et promissio vel confessio vestra apud Deum tenetur. Et credens baptizatus es in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti in remissionem omnium peccatorum, et unctus es a sacerdote chrismate salutis in vitam aeternam, et induit corpus tuum veste Candida, et Christus animam tuam induit gratia caelesti, et adsignatus est tibi sanctus angelus ad custodiendum te, et accepto nomine Christiano in Ecclesia catholica adnumeratus factus es membrum Christi, ut ait apostolus: „Vos estis corpus Christi et membra de membro“, quia Christus caput nostrum est, et nos membra eius. A Christo enim Christiani sunt nominati.

RESPONSORIUM

Mc 16, 15-16; Io 3, 5

R Euntes in mundum Universum, praedicate Evangelium omni creaturae: * Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.

V Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. * Qui crediderit.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Exiit de domo sua, et de cognatione sua, et venit in terram, quam monstraverat illi Deus.

Oratio

Deus, cuius munere beatus Pirminius populum tuum fidei praedicatione illuminavit et domos vitae religiosae fundavit, concede quaesumus, ut evangelica veritas indesinenter mundo nuntietur et regnum tuum iugiter consumetur. Per Dominum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Vos qui reliquistis omnia et secuti estis me, centuplum accipietis et vitam aeternam possidebitis.

Die 3 novembris
B. RUPERTI MAYER PRESBYTERI

De Communi sanctorum virorum: pro religiosis, praeter sequentia:

Oratio

Deus qui Beatum Rupertum presbyterum fortem fidei confessorem pauperumque adiutorem fecisti, largire, quaesumus, eius intercessione, ut in Ecclesia tua praedicatores eximii suscitentur, nobisque cor necessitatibus hominum patens donetur. Per Dominum nostrum.

Die 18 novembris

**In ecclesiis consecratis, quarum dies consecrationis
ignoratur:**

IN DEDICATIONE ECCLESIAE PROPRIAE

Solemnitas

Omnia de Communi dedicationis ecclesiae.

Die 4 decembris
B. ADOLPHI KOLPING PRESBYTERI

De Commune Pastorum, praeter sequentia:

Oratio

Deus Pater misericors, qui beatum Adolphum Kolping de arte sutrina ad sacerdotium vocasti, ut per eum iuvenes e miseriis spiritualibus et socialibus eriperes, da nobis, quaesumus, eius intercessione, ut res adversas temporum nostrorum cognoscamus et fratrum necessitatibus, te adiuvante, subvenire possimus. Per Dominum.

QUELLENVERZEICHNIS ZU DEN LESUNGEN DER KIRCHENVÄTER UND KIRCHLICHEN SCHRIFTSTELLER

Die Lesungen sind teilweise gekürzt und neu zusammengefügt. Übersetzer werden, gemäß der Tradition der Liturgiebücher, namentlich nicht aufgeführt. Die Reihenfolge des Verzeichnisses ergibt sich aus dem Kirchenjahr.

Paul Josef Nardini († 1862)

- Paul Josef Nardini. In: Der christliche Pilger. Speyerer Bistumsblatt vom 27. Januar 1861.

Guido von Pomposa († 1046)

- Guido von Arezzo, Brief an den Mönch Michael: *Patrologia Latina*, hg. v. J. P. Migne, Bd. 141, Paris 1853, Sp. 423-425.
- Petrus Damiani, Brief an die Mönche von Pomposa: *Monumenta Germaniae Historica. Die Briefe der deutschen Kaiserzeit. Bd. 4, Teil 1*, hg. v. Kurt Reindel, München 1983, Nr. 6, S. 133 f.

Phillip von Zell († 750)

- Wilhelm von Saint-Thierry, Goldener Brief (Texte der Zisterzienser-Väter, Band 5), Eschenbach 1992.
- Edith Stein Gesamtausgabe, Band 20, Geistliche Texte II, Freiburg 2007

Otto von Bamberg († 1139)

- Ebbo-Vita Ottos von Bamberg: *Monumenta Germaniae Historica. Scriptorum Bd. 12*, Hannover 1856 (Neudruck Stuttgart - New York 1963), S. 825 f.
- Bernhart von Clairvaux, Traktat über das Leben und das Amt des Bischofs: *Patrologia Latina*, hg. v. J. P. Migne, Bd. 182, Paris 1879, Sp. 817.
- Johannes Paul II., Aus der Predigt in Speyer am 4. Mai 1987: *Verlautbarungen des Apostolischen Stuhls, Nr. 77*, herausgegeben vom Sekretariat der Deutschen Bischofskonferenz, S. 131 f.

Disibod (7. Jahrhundert)

- Hildegard von Bingen, Sequenz an den hl. Disibod: Hildegard von Bingen, Lieder. Nach den Handschriften hg. v. Pudentiana Barth u.a., Salzburg 1969, S. 78-81 (mit Melodie), S. 246-249 (ohne Melodie).
- Basilius der Große, Aus dem Brief an seinen Schüler Chilo: *Patrologia Graeca*, hg. v. J. P. Migne, Bd. 32, Paris 1857, Sp. 354-358.

Bernhard von Baden († 1458)

- Johannes Trithemius, *Annales Hirsaugienses*, Bd. 2, St. Gallen 1690, S. 459 (Quelle aus: Anna Maria Renner, Markgraf Bernhard II. von Baden. Quellen zu seiner Lebensgeschichte. Karlsruhe [1958], S. 192).
- Thomas a Kempis, *De imitatione Christi*, hg. v. J. Mooren, 3. Aufl. Köln, o.J. (um 1900), Liber IV, cap. 6.

Petrus Faber († 1546)

- Petrus Faber, *Memoriale: Monumenta Historica Societatis Iesu, Fabri Monumenta, Beati Petri Fabri primi Sacerdotis e Societate Iesu epistolae, Memoriale et processus*, Madrid 1914, Nr. 147, S. 566-567.
- Petrus Faber, Brief an P. Ignatius von Loyola vom 7. November 1542: Peter Faber, *Memoriale. Das Geistliche Tagebuch des ersten Jesuiten in Deutschland*, nach den Manuskripten übersetzt und eingeleitet von Peter Henrici. Anhang: Fabers Apostolat, Briefe und Unterweisungen, Brief 6, Einsiedeln 1963, S. 339 f., vom Übersetzer 1972 gekürzt und bearbeitet.

Theresia Benedicta - Edith Stein († 1942)

- Sr. Theresia Benedicta a Cruce (Dr. Edith Stein), *Das Weihnachtsgeheimnis, Menschwerdung und Menschheit*. 1950. Karmel Maria v. Frieden, Köln.
- Edith Stein, *Das Gebet der Kirche*, Steyl²1965, S. 7-9.
- Johannes Paul II., Aus der Homilie bei der Seligsprechung von Edith Stein in Köln am 1. Mai 1987: *Verlautbarungen des Apostolischen Stuhls, Nr. 77*, herausgegeben vom Sekretariat der Deutschen Bischofskonferenz, S. 25 ff.
- Edith Stein, *Kreuzeswissenschaft Studie über Joannes a Cruce*, Edith Steins Werke Bd. 1, hrsg. von Dr. L. Gelber und P. Fr. Romaeus Leuven OCD, Druten und Freiburg — Basel-Wien, ³1983, S. 15f.
- Teresia Renata de Spiritu Sancto, Edith Stein, Herder-Bücherei Band 3, 3. Auflage 1957, Herder Freiburg.

Maria Aufnahme in den Himmel, Patronin des Bistums Speyer

- Nikolaus von Weis, Hirtenbriefe vom 29. September 1853 und vom 2. Februar 1855 über den Dom in Speyer: 1. und 2. Absatz: Hirtenbrief vom 29. 9-1853 anlässlich der Altarweihe im Dom: Sammlung der Verordnungen und Aus schreiben für die Seelsorger des Bistums Speyer, 3. Heft, Speyer, Nr. 212, S. 679f.; 3. Absatz: Hirtenbrief für die Fastenzeit 1855 vom 2. Februar 1855: Sammlung der Verordnungen und Ausschreiben. 4. Heft, Speyer, Nr. 239, S. 791 f.

Theodard († 669/70)

- Caesarius von Arles, Reden an das Volk: *Sancti Caesarii Arelatensis Sermones, Pars prima, Editio altera*. D. Germani Morin. *Corpus Christianorum Series Latina* 103, Turnholti 1953, Sermo 1, Abs. 19, S. 15-16.
- Maximus, Auslegungen zu Lk 14, 26-33: *Maximi episcopi Taurinensis collectionem sermonum antiquam, nonnullis sermonibus extravagantibus adiectis*, edidit Almut Mutzenbecher. *Corpus Christianorum Series Latina* 23, Turnholti 1962, Sermo XII, Abs. 1 u. 2, S. 41-42.

Hildegard von Bingen († 1179)

- Hildegardis, Scivias, edidit Adelgundis Führkötter, collaborante Angela Carlevaris. Corpus Christianorum, Continuatio Mediaevalis 43, Turnholti 1978, S. 3-6.
- Hildegard von Bingen, Brief an Bischof Günther von Speyer: Patrologia Latina, hg. v. J. P. Migne, Bd. 197, Paris 1853, Sp. 172, Epistola XV.

Jahrestag der Weihe des Domes zu Speyer (4. Okt. 1061)

- Johannes Emil Gugumus, Der Dom zu Speyer, Ideen u. Symbolik, in: Der Pilger, Speyerer Bistumsblatt, 111.Jg. 1961, S. 647.
- Nikolaus von Weis, Hirtenbrief vom 7. Juli 1861, die achte Säcularfeier der Einweihung des Kaiserdomes betr., in: Sammlung der Verordnungen und Ausschreiben ..., 5. Heft, Speyer, Nr. 355, S. 151-156.
- Caesarii Heisterbacensis monachi Ordinis Cisterciensis Dialogus miraculorum, textum ad quatuor codicum manuscriptorum editionisque principis fidem accurate recognovit Josephus Strange. Volumen secundum. Coloniae, Bonnae et Bruxcllis, sumptibus J. M. Heberle 1851, Cap. XI, pag. 14-15.

Pirmin († 753)

- Der hl. Pirmin und sein Pastoralbüchlein, eingeleitet und ins Deutsche übertragen von Ursmar Engelmann, 2. neu bearbeitete Auflage, Sigmaringen 1976, S. 34-37. Rupert Mayer († 1945).
- Julius Kardinal Döpfner, Ansprache bei der Eucharistiefeier zum 100. Geburtstag von P. Rupert Mayer S. J. in St. Michael in München am 24. Januar 1976, in: Dokumentation zur Seligsprechung von P. Rupert Mayer, St. Ottilien (Eos-Verlag) 1987, S. 144-152.

Adolph Kolping(† 1865).

- Adolph Kolping, Schriften, Kölner Ausgabe Bd. 3, 1985, S. 128f.